

Dissertatio medica de foeniculo ... / [Johann Christian Ehrmann].

Contributors

Ehrmann, Johann Christian, 1710-1797.

Boecler, Johann, 1681-1733.

Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Literis haeredum Johannis Pastorii, [1732]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pgeah2b7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V. 34.349 N 12
DISSERTATIO MEDICA
DE

FOENICULO,

FAVENTE SUPREMI NVMINIS GRATIA;
^{QVAM}

PRÆSIDE

DN. JOHANNE BOECLERO,
PHIL. ET MED. DOCTORE,
BOTAN. CHYM. RELIQVÆQVE MATE-
RIÆ MEDICÆ PROF. PVBL. ORD.
CAPIT. THOM. CANON.
h. t. MAGNIFICO VNIVERSITATIS
RECTORE,

DOMINO AC PRÆCEPTORE SVO IN
ÆTERNVM DEVENERANDO,
IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE
SOLENNI PLACIDOQVE ERUDITORVM EXAMINI
SVBIICIT

JOH. CHRISTIANVS EHRMANN,
ARGENTORATENSIS,
AVCTOR

AD DIEM XIII. JVNII M DCC XXXII.
h. l. c.

ARGENTORATI,
LITERIS Hæredum JOHANNIS PASTORIL.

V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
ATQVE EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
M A R C O
M A P P O,
MEDICINÆ DOCTORI ET
PRACTICO FAMIGERATISSIMO,
DN. PATRONO ET FAVTORI

*SVMMOPERE COLEND*O

HAS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
CEV OBSERVANTIAE ANIMI^{QVE} OB MAXIMVM SIBI EX-
HIBITVM FAVOREM GRATISSIMI MONUMENTVM, AC SI-
MVL IN VLTERIOREM SVI COMMENDATIONEM
SVBMISSA ANIMI VENERATIONE CONSECRAT

TANTI MÆCENATIS

DEVOTISSIMVS CVLTOR

JOH. CHRISTIANVS EHRMANN, Arg.
AVCTOR.

Epiſtola
P R A E S I D I S

A D

Politissimum suum RESPONDENTEM.

X quo tempore paulo arctius mihi Te-
cum intercessit consortium , intimius-
que Te cognoscendi frequentissima
exhibita fuit occasio , non inanem concepi spem
fore, ut desiderium Tuorum aliquando sis im-
pleturus. Egregiæ enim animi Tui dotes, vivax
atque festivum ingenium, moresque compti me
haud parum in opinione concepta firmarunt.
Evidem ad alia conversus, videbaris multa per-
didisse, verum tuus ardor reparavit facile, quod

credebatur amissum. Ita enim hactenus in Scho-
lis Medicis versatus es , ut non possim non Tibi
debitum tribuere encomium. Interfuisti colle-
giis sedulus auditor , quæ docebantur avidus
hausisti , atque in succum & sanguinem conver-
tere allaborasti. Macte Tua virtute in incepto
virtutis tramite perge , nec ex recta deflecte via,
sic enim fiet , ut evadas aliquando in Virum bo-
num medendi peritum. Proposuisti tibi profe-
ctus Tuos egregios publico comprobare , dum
solenni Eruditorum examini *dissertationem de*
Fæniculo conscriptam sistis examinandam. Tuus
est iste labor adeoque & Tibi defendendus est.
Fac itaque , ut in certamine palmam reportes ,
applausumque promerearis publicum. D E U S
T. O. M. divina sua gratia adsit , ut conatus
Tui felici semper beentur successu.

PRO-


PROOEMIUM.

Postquam animo constitueram, qualescunque meos, quos in arte Medica feci, profectus publice explorandi, dispiciebam sollicite de themate, quod pro dissertatione Academica convenire posset, feligendo. Incidi tandem quasi ex improviso in dissertationem quam Experientissimus quondam Dn. JOH. SIGISMUNDUS HENNINGERUS b. m. de Aniso conscripsit, MAGN. autem Dn. PRÆSES sub ejusdem auspicio publice in Cathedra propugavit, qua mihi stimulum addidit, ut simile quid tentarem. Arrisit præ aliis vegetabili but FOENICULUM, quare statim ad illud considerandum me accinxi. Cum labor ad finem jam esset perductus, innotuit demum mihi, quod jam prostet

MAROTHROLOGIA SCHENCKIANA , quam
tamen , ut sancte affirmare possum , nondum con-
spexi , sic uii quoque nunquam vidi AROBELBER-
GARII tractatum de Fœniculo . Quare credidi ,
me oleum & operam non perdidisse in meis qua-
libuscunque conatibus . Benev . Lect . facile per-
spiciet quid in hacce collectione præstiterim . Non
diffiteor , me methodo superius allegata dissertationis
inhæsse & sapius quedam exinde repetiisse , sicuti
quoque non nego , me ipsorum authorum verba
propria hinc inde retinuisse . Tyro sum , & novis
producendis incapax , quare facile me veniam
impetraturum spero , si minus comptam , minus
eruditam in publicum proferam opellam . DEUS
Altissimus Clementissime gratiam suam mihi af-
fundat .



§. I.



FOENICULUM unam ex plantis maxime usualibus esse, & veterum & recentiorum consensus monstrat, & quotidiana edocet experientia, quod & in culinis & in officinis Pharmacueticis frequentissime usurpetur. Et certe si olfactum atque gustum consulamus, non minori jure videtur nomen *Aromatis Germanici* promereri ac ipsum ANISUM, cum quo virtutibus decertat. FOENICULUM autem hoc, ut PLINIUS loquitur, nobilitavere serpentes gustatu, senectam exuendo, oculorumque aciem succo ejus reficiendo. Unde intellectum est, hominum quoque caliginem præcipue eo levari. Meretur hic audiri CASP. HOFFMANNUS de medicamentis officinalibus l. 2. c. 94. in hæc verba erumpens. An dubitari potest? Deponunt quidem exuvias suas prope fœniculum, quod vidi, sed virus fit illis clarior propter depositam simul Epidermidos partem illam, quæ corneæ prætendebatur, quod pariter vidi.

§. II.

FOENICULUM græcis μάραθρον audit, Latinis hinc etiam MARATHRUM dicitur, forsan δὲ τὸ μαραθρόν
A a mar-

a marcescendo, quoniam ut PLINIUS *l. 19. c. 9.* ait, ad condienda plurima sit commendatissimum. JO. BODÆUS a STAPEL *in not. & commentar. ad THEOPHR. Histor. plant. l. 6. 1.* hæc habet, μάραθρον antiqui dixerunt, δόντο τῷ μαγεῖν, τύπτει λάμπειν καὶ αὐθεῖν, quod est videre, luce-re; quia visus aciem excitat. A recentioribus Græcis, teste eodem authore, uti SIMONE SETHI, ACTUARIO aliisque μάλαθρον dicitur, quod foliis teneris mollibusque sit, vel quod molliendi vim habeat, quamvis & ACTUARIO μάραθρον audiat. Fœniculum FUCHSIUS *Hist. plant. c. 192.* dici existimat, quod satum semen magno cum fœnore reddat, vel quod quasi fœnum in hyemes arefactum & marcidum reponatur, uti PENA & LOBELIUS *in adversariis stirpium novis* docent. Non dicam de eo quod fœniculum exsiccatum, ad foeni similitudinem juxta quosdam accedat. Quidam a fœnore derivant, à Fœnus, Fœnoris, & fœnum esse & fœniculum facile do illis qui ita volunt, inquit CASPAR HOFFMANNUS *de medic. officin. l. 2. c. 94.* sunt, qui omisso diphtongo vocant feniculum, sicut etiam reperiuntur. qui fœniculus pronunciant. Germani voce Latina, ut SEBIZIUS *de aliment. facult. l. 2. c. 11.* loquitur, non nihil mutata Fen-chel nuncupant. Gallis audit FENOUIL. Quomodo ab Arabibus aliisque appellitetur videre est apud TABERNEMONTANUM *l. 1. c. 12.*

§. III.

Fœniculum ad plantas umbelliferas pertinere ipsa avtopsia satis probat. SAMUEL DALE *in Pharmacologia seu manuductione ad Materiam Medicam sect. 9. §. 29. de Herbis Umbelliferis* ita scribit. Nota Fœniculi sunt, folia obscure viridia in longa & capillacea segmenta divisa, semina striata oblonga. JOH. RAIUS *in methodo plantarum emendata & aucta* hunc in modum differit. Fœniculum, foliis in capillacea segmenta divisis, seminibus striatis, oblongis, floribus parvis pallide flavis, petalis obtusis, recta fere linea terminatis, non tamen bifidis, a reliquis
hujus

hujus generis Umbelliferis distinguitur : a Meo foliorum segmentis longioribus. EMANUEL KOENIG *in regno vegetabili quadripartito* de criterio hujus plantæ hæc habet. Primas dicit inter plantas gymnodispermas dictas umbelliferas , seu seminibus post singulos flores binis, floribus pentapetalis in umbellam congestis, caulum & ramorum fastigiis in plures radiatos pediculos & his rursus in tenues pedicellos flores sustinentes divisis; foliis vel compositis aut lobatis , vel simplicibus aut integris ; ex his seminibus canaliculatis seu profundius aut levius striatis oblongis aut subrotundis, teretiusculis aut nonnihil depresso , foliis vero in tenuia capillacea segmenta divisis. Illustris iste Botanicorum Coryphaeus JOSEPHUS PITTON TOURNEFORT *in Instit. Rei Herbar. cl. 7. sect. 2. G. 1.* hoc vegetabile tale describit modo ; Foeniculum est plantæ genus flore rosaceo & umbellato, plurimis scilicet petalis constante, in orbem positis & calyci insidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus seminibus compositum oblongis, crassiusculis, hinc gibbis & striatis , inde vero planis. His notis addenda sunt folia in lacinias capillaceas divisa, costæ innascentia. Clarissimus HERMANNUS BOERHAVE *in Historia plantarum* sequentem in modum characterem depinxisse fertur. Est planta Umbellifera gymnodisperma ex foliis compositis ex tenuissimis capillamentis divisus constans : semina oblonga, crassiuscula, nigricantia, tumidiora, utcunque striata. Radix fibrosa plerumque sat crassa, longa, alba, recta , odorata, saporis subdulcis & aromatici, caulis striatus, rectus, odoris grati, saporis aromatici.

§. I V.

Plures Foeniculi reperiri species in confesso est apud Authores , non opus autem videtur ut omnes hic recenseantur. Id, de quo proprie hoc in loco tractamus, solet appellari FOENICULUM VULGARE GERMANICUM C. B. Pin. 147. Foeniculum Dod. Stirp. hist. pempt.

2. l. 5. c. 1. Ab hoc diversam speciem facit TOURNEFORT Foeniculum vulgare minus acriori & nigriori semine J. B. 3. part. 2. 2. foeniculum vulgare Italicum, semine oblongo gustu acuto C. B. Pin. 147. Foeniculum sive Marathrum vulgatius Lob: advers: 347. Datur equidem & aliud foeniculi genus, quod in usum trahi in quibusdam locis solet, nempe Foeniculum dulce majore & albo semine J. B. 3. p. 2. 4. foeniculum dulce C. B. Pin. 147. foeniculum sive Marathrum vulgatius dulce Lob. Icon. 775. Quidam hoc ultimum foeniculum appellant foeniculum Romanum, foeniculum Florentinum; Römischer/ Florentinischer Fenchel/ fenouil de Florence; ob dulcedinem quam habet ex cultura Romæ & Florentiæ cognominatur dulce, süsser Fenchel fenouil doux. Minus autem apud Germanos in usu est hoc ultimum foeniculum, quod etiam juxta J. SIGISM. ELSHOLZ Dietet. l. 1. cap. 5. n. 23. apud nos fatum post biennium degenerat.

§. V.

Quod attinet locum natalem hujus plantæ, sponte Monspelii atque Lugduni provenire perhibetur, cum enim loca amet calida & saxosa, talia autem, ut docet JOH. BAUHINUS Hist. plant. Univers. l. 27. c. 1. sint Monspelium atque Lugdunum, non mirum est quod juxta muros meridianos ibidem propullulet. Apud nos partim in hortis partim in agris colitur, ubi sat copiose & feliciter quoque crescit, ita ut non opus sit aliunde advecto foeniculo uti. Seri solet tempore verno circa plenilunium, in loco fertili, sed quandoque altero tantum progerminat anno. Radix vivax est, & per longum tempus perennat, non raro tamen etiam hyeme rigidiore perit, unde quotannis seminant, ne ejus defectus urgeat, licet ex semine quoque deciduo propagetur. Vere erumpunt, dicente JOH. BAUHINO, folia deinde caulis assurgit; sequuntur cum floribus muscaria;

ria; floret autem Julio & Augusto. Semen sub æstatis finem ac Autumno perficitur.

§. VI.

Totam plantam Botanici, ut JOH. BAUHINI verbis utar, his describunt verbis. Ex radice digitali aut maiore si ramosior fuerit, recta, alba, sapore cum quadam dulcedine aromatico, caulis surgit tres aut quatuor cubitos altus, rectus, striatus, geniculatus, atro virens, fungosa alba medulla farctus, crebris alis concavus: pediculi ceu vagina caulem & ramos complectuntur, quibus folia insident in longa tenuissima filamenta dissecta, atrovirentia, sapore dulci, odore suavi, umbellæ florum latæ, luteæ, odoratæ; semen oblongum Anisi, nigricans, gracilius, sapore acriori minus dulci. Quam dulcedinem ipsi quidam conciliare conantur, dum semen fœniculi cum caricis terræ committunt, cuius rei fides stet penes authores; forsan melius est, si, tempore hyberno accedente, fœniculum resectum fimo bene cooperiatur, ut hoc innuit JOH. COLERUS in *Oeconomia rurali atque domestica*. l. 6. c. 61.

§. VII.

Quod si ullum vegetabile in usum cedit, certe illud est FOENICULUM, quod non solum officinæ Pharmaceuticæ, sed & culinæ optime norunt. Et herba enim cum summitatibus, & ipsum semen in oœconomiis usurpatur. Qua de re sequentem in modum differit JOH. BAUHINUS l. c. Hodie non solum in Medicina exceptitur, verum etiam in culina. Coqui & diligentiores matres familias varie ad usum præparant. Nonnullæ tenellis vescuntur surculis cum sale ad carnes & assuturas. Nonnullæ miscent cum faccharo, aliæ acetariis imponunt. Quædam hos cum non bene maturo semine sale & aceto condunt & post annum usurpant, Pisces affandi non temere fœniculo implantur, & eo involvuntur; sic namque non solum iis gratus sapor conciliatur, sed & superflua humiditas corrigitur, & sic fa-

lubriores redduntur. Quare ii quoque consultum faciunt, qui pisces cum foeniculo in jure decoquunt. Hoc siquidem non tantum eorum humiditatem consumit, verum etiam ad concoctionem facit. Roborat enim foeniculum caput, Ventriculum, hepar, lienem, renes, vesicam & matricem, viscosoque humores digerit. In eundem usum tam comæ foeniculi quam etiam radix in cibos additur, & semen in panem. Cucumeres, ut loquitur SEBIZIUS, cum infantes adhuc sunt, & parum ventrosi, qui nostro idiomate Kuckfūmerlein / Kümmerling / kleine Gurcken/ Gallice Cornichons vocantur, summatibus foeniculi condiuntur, ad quem tamen scopum multis præ foeniculo arridet Dracunculus esculentus, quippe qui jucundorem largiri saporem fertur. De gustibus interim non est disputandum. Quid dicam multa de eo, quod semen foeniculi quotidie ad decocta pro potu ordinario adhibetur; quod semen etiam faccharo incrustetur, ac cum bellariis apponatur, qua de confectione, cum & usum medicum obtineat, infra plura dicenda occurrit. De usu foeniculi œconomico meretur audiri JAC. THEOD.

TABERNÆMONTANUS l. i. c. 12. hæc verba enuncians: Es ist dieses edel Gewächs zu unserer Zeit auch dahin gerathen/ daß es nicht allein in der Arzney/ sondern auch umb seiner vielfältigen Nutzbarkeit willen/ in der Küchen täglich gebrauchet wird/ und wäre derowegen sehr gut/ daß man allein bey unseren bekannten Kräutern/ Saamen und Wurzlen bliebe/ die Speisen damit zu condiren/ und abzuwürzen/ würde es nicht allein unsern Leiberen zur Gesundheit und Wohlfarth gereichen/ sondern es würde ein grosses Geld/ das man umb fremde und außländische Specerey geben muß/ ersparet werden.

§. VIII.

Quodsi jam ad usum, quem in Medicina præstat, foeniculum, respiciamus, deprehendimus nullam esse hujus vegetabilis partem, quæ non summopere prod. esse

esse possit. Habet insignem suam utilitatem radix, caules haud spernendas possident vires, herba gaudet egregia facultate, qua non destituuntur summitates, imprimis vero semen quoque magnopere laudibus extollitur. Adeo ut chariflma debeat existere hæc planta, quam totam aromaticam esse testatur & odor & sapor suavis, blandus, aromaticus, ut & analysis Chymica sal volatile oleosum facile sensibus exhibens. Consideremus primo RADICEM quæ PAULO HERMANNO in *Cynosura Materiæ Medicæ* definiente, est oblonga, recta, digitum crassa, pallida, saporis subdulcis, subacris, aromatici & tenuis odoris fragrantis. Ob sal aromaticum blandum utique haud exiguis prædicta est dotibus radix hæcce. Celebratur imprimis ejus vis aperiens, ita ut radicibus quinque aperientibus annumeretur, quippe quæ sunt radices *Apii*, *Asparagi*, *Feniculi*, *Petroselini*, *Rusci*; Suadet autem haud omni abs ratione prædictus author, ut in usum trahatur cortex potius radicis, quam interior substantia. Viscidum, docente ETTMÜLLERO, attenuat, pectori, renibus, utero ac mensibus ciendis dicatum est. Commendatur hinc in tussi asthmate; Lienis & hepatis infarctus referat, & viscera ab obstruktione liberat. Utilis esse perhibetur difficulter mingentibus, & a calculo præservare dicitur, quatenus, uti loquuntur, sal volatile temperatum corrigit acidum calculi coagulatorem. In variolis & morbillis decocto fœniculi vel feminis vel radicum nihil convenientius est, pronunciante SIMONE PAULI *Quadrip. Botan.* CL. 3. Lue Venerea laborantibus has radices suadet GABRIEL FALLOPIUS *tract. de morbo Gall. c. 28.*

§. IX.

TABERNÆMONTANUS sequentes ad tuſsim chronicam commendat formulas. R. Rad. fœniculi ſiccatæ ȝj. dilue in vino, & parumper edulcora ſaccharo atque affume; vel R. Rad. fœniculi recentem, in mortario contunde marmoreo & succum exprime, qui deinde

deinde ad 3j. cum dimidia parte sacchari quotidie per novem dies assumptus proficuus esse creditur. Sunt qui succum hunc cum mulso aut aqua mellis in eundem finem assumunt. Laudatur porro in asthmate & phthisi; deprædicatur in debilitate atque inflatione stomachi, præsertim si colluvie atque faburra humorum viscidorum & pituitosorum laboret. In cachexia, ictero atque hydrope utilis judicatur. Decoctum, dicente Ettmüllerio, hujus radicis vel solitarie, vel etiam (quod quibusdam placet) floribus sambuci aut lumbricis sociatum, ad lactis abundantiam (scilicet conciliandam) commendatur, sicut & HELIDÆUS PADUANUS pro lacte generando commendat decoctum lumbricorum in brodio vel decocto fœniculi; qua de re etiam conferri potest AMATUS LUSITANUS. In affectibus nephriticis conducit. Radix enim authore Jo. RUELLIO *de natura stirpium l. 3. c. 48.* cum ptisana pota renes purgat. Succus porro è radice recente expressus unciarum trium pondere potus cum vini generosi uncia una, nephriticis mire subvenit. Cum decoctum hujus radicis egregium sit diureticum, hydropicis quoque utile censeatur. In JOHAN. MICHAELIS *notis in Pharmac. Med. Chym. Schræderi* hæcce leguntur verba. Radix fœniculi aperitivam & diureticam vim habet. Decoctum singulariter commendatur contra fumum Mercurii, quando nimis Aurifabri ex deauratione rerum illum halitu suo susceperunt, nec minus confert in inunctione Mercuriali, qualis fieri solet in scabie. In hisce enim affectibus decoctum hoc singulari cum fructu expertus sum, præprimis tamen, ubi membrorum tremor in ægris simul adfuit. Quam in rem etiam audiendus HOECHSTÄTTER *in observ. med. dec. 3. c. 4.* Juxta L. THURNEISSER *Hist. plantar.* contra quævis venena, sive ea in cibis hausta sint, sive pota, sive illita; interque hæc omnium maxime contra Mercurium, Cerussam, Arsenicum & Auripigmentum, nec non morsus animalium venena ejacu-

ejaculantium egregie opitulantur hæ radices. Feruntur eadem cum melle contritæ canum morsibus mederi impositæ, teste DODONÆO *Stirp. Hist. pempt. 2. l. 5. c. 1.* ADAMUS autem LONICERUS in *lib. de natura & viribus plantarum* hunc in modum sermocinatur. Cum melle radix omnibus venenatorum morsibus & ictibus illinitur. Canis rabidi morsui, vulnere prius cum urina vel aceto purgato, auxiliatur. Deprædicant porro hanc radicem ad contusiones atque fugillata, item ad tumentes mulierum mammas & tumores in iisdem, à stagnatione lactis oriundos, discutiendos. Monente AETIO in Tetrabibl. S. 4. c. 30. ad aphtas summe efficax est fœniculi radix usta per se & cum melle illita. Et hæc de radice, quæ æque, ac aliæ fœniculi partes, ophthalmica est.

§. X.

Progradimur ad caulem, quem, partibus quoque aromaticis scatentem, non planè inertem esse experientia certum facit. Imprimis autem præter alias facultates, adscribuntur dotes ophthalmicæ. Sic exinde fit aqua vel liquor ad oculorum affectus utilis, si, ut scribit FRIDERICUS HOFFMANNUS in *clavæ Pharmaceutica Schræderiana*, injicias saccharum candum tritum in canaliculos fœniculi, dum terræ adhæret, qui per noctem cera obturentur, tunc enim liquefcet saccharum & fit aqua, quæ guttatum oculis est infundenda, Commodior tamen videtur esse methodus, quam exponit Dn. PRÆSES in *Commentario ad Paul. Hermanni Cynosuram Mater. Med.* præeunte BARTHOLETO in *Encyclopædia*, ubi hæc reperiuntur dicta. Caules fœniculi replentur saccharo cando trito & postmodum orificiis cera clausis suspenduntur in cella, sic extillat aqua ophthalmica. Hic liquor saccharatus in macularum & pannorum oculi deterfione, discussione ac consolidatione omnibusque oculorum affectibus a modo dicto BARTHOLETO & RIVERIO habetur præstantissimus. Ex caulis,

ut & expressis foliis densatur succus in sole, ut loquitur
 RUELLIUS l. 3. de *natura stirpium*, addendus medicamentis,
 quæ ad excitandam oculorum aciem parantur. Fit & è
 semine musteo foliis totis ac ramis simul expressis ad ea-
 dem utilis; fit & è radicibus prima germinatione incisis.
 In Iberia lachrymam reddit gummi similem, Caulem
 ipsum dum floret indigenæ demetunt, & igni admo-
 vent, ut caloris vi exudans ejiciat, quod quæritur, gum-
 mi: hoc efficacius oculis quam succus.

§. XI.

Quod si jam ad folia accedamus & illa viribus non
 destitui vel odor fragrans & sapor aromaticus docet.
 Juxta OTHONEM BRUNFELSIUM tom. 2. rapsodia 4. si
 herba edatur aut semen cum ptisanabibatur mārias lacte
 replet. Comæ decoctum in renum doloribus subditum
 proficit, quippe quod urinam excitet. In defectu lactis
 decoctum foeniculi recentis mirum in modum conducit
 juxta AMAT. LUSITANUM Cent. 6. curat. 86. Unde ex
 consilio ETTMÜLLERI Coll. pharmaceut. in Schræd. in fre-
 quenti sit usu nutricibus lacte destitutis. Imo dicunt
 lac tale emulctum spirare odorem foeniculi. Dicunt,
 quod mulieres recipient folia foeniculi viridia, deco-
 quant in vini vel aquæ q. s. & hoc utantur pro potu
 ordinario, sic impossibile perhibent esse, quod non
 semper abundant lacte; quod etiam decoctum com-
 mendatur ad expellendas variolas, quod notum, &
 menstrua retenta vel impedita. Virtute quoque stoma-
 chica & carminativa gaudent hæc folia, & insuper pe-
 giori amica existunt, & asperam arteriam leniunt. Vi-
 ribus porro diureticis prædicta sunt, & in calculo lau-
 dantur tum folia tum summitates foeniculi decoctæ.
 Commendatur quoque usus foeniculi quotidianus in
 cibis ad profligandam febrem quotidianam. Imprimis
 autem depredicatur in oculorum affectibus. Sic PAU-
 LUS ÆGINETA de arte medendi l. 1. c. 31. hæc habet.
 Infunditur ad caliginem præfenti remedio oculis per-
 petu

peti mense singulis diebus aqua ad hunc sane modum accurate præparata. Fœniculum viride, simul & aquam pluvialem vasi testaceo foris picato injice, dein de fœniculo exempto, reliquias in eum usum reponito. Suppeditant autem hæc folia destillatione præter aquam etiam oleum æthereum egregium ad roborandum vi- sum, & varios oculorum affectus remedium. Methodum propterea exhibet gravissimus PRÆSES in Comm. ad *Cynosuram Materiæ Medicæ Hermanni* sequentibus verbis.

R. Folia fœniculi recentia cum caulis tenerioribus q. s. antequam semen compareat, incide minutissime, immittit in doliolum cum aliquot manipulis salis communis & fermento panis, affunde aquam calidam & fermentescere permitte, qua vigente fermentatione distilla per vesicam aut M. B. sic cum aqua ascendet oleum summe volatile & æthereum. Hujus jam olei R. guttas viginti circiter, tere cum saccharo cando, & postmodum in aqua Rosarum albarum (aqua fœniculi destillata, quæ simul cum oleo prodit, aut aqua Euphrasiæ aliaque ophthalmica) dissolve, sic habebis aquam ophthalmicam insignem in nubecula, incipiente catarrhacta similibusque affectibus, ut & in visu debili confortando, à qua tamen debemus abstinere in inflammationibus & aliis oculorum affectibus a sanguine acri provenientibus.

§. XII.

Ob vim oculorum affectibus medendi, quidam hanc plantam recentem contundunt & cum duplo pondere facchari condiunt, & insolant, sicque obtinent conservam quotidie vel sæpiissime cuspidatim assumendam, oculis multum proficuam, quam conservam etiam ad confortandum stomachum, flatus dissipandos, & uteri virtus corrigenda commendant. Ex herba quoque succus exprimitur, qui instillatus oculis multis eorum labibus suppetias fert, id quod jam QUINTUS SERENUS SAMMONICUS in *præceptis de Medicina* jam agnovit ita canens:

*Si tenebras oculis obducit pigra senectus
Expressæ marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt.*

Præterea usus horum foliorum ejusque succi in multis aliis celebratur morbis; tussi, asthmate, hydrope, affectibus renum & vesicæ &c. Summitates fœniculi iisdem gaudent viribus, ac eodem usurpari poterunt modo, non dicam jam multa de utilitate, quam in œconomia præstant, de qua etiam supra jam mentio fuit injecta.

§. XIII.

Accedo nunc ad fructum fœniculi, qui non tantum suave existit aroma, sed & polychrestum atque evporiston utique remedium. Sunt autem semina oblonga, striata, aniso longiora, nigricantia quadantenus, odoris fragrantis, saporis acrioris, sed minus dulcis quam anisum. Debent esse recentia, plena, succulenta, oleosa, non furfurosa aut carie erosa, a fordibus, pendunculis & aliis extraneis bene repurgata. MOSES CHARIAS de Theriac. c. 54. ita de electione hujus seminis loquitur:

*Acre fœniculum, comitans Anisum,
Longius forma, sed idem notatum,
Viribus, gustu nec odore multum
Dispar utrumque.*

Colligantur hæc semina Autumno præsertim mafure-scentia, & debito modo exsiccata asservantur. Perhibetur a multis, quod per tres & ultra annos, æque ac radix utilia existant; tandem tamen viribus orbanit. Observandum nemipe juxta TRAGUM de Stirp. hist. l. 1. c. 151. semina anisi, fœniculi, Cymini, Anethi, & Petroselini, si ultra quadriennium serventur, vermiculis erodi, aut si hoc non contingat, prorsus amara fieri. Quæ quidem ita se habere non tantum experientia, sed

sed & THEOPHRASTUS ERESIUS *Histor. PLANTAR.* docet, qui l. 7. c. 6. hæc habet verba. Seminum alia firmiora alia infirmiora sunt ad perdurandum, sed interea quæ maxime durant, nullum ultra quadrimatum durare potest; ita scilicet, ut ad sementem adhuc utile sit, sed bima fane meliora, trima fere nihil deteriora.

§. XIV.

Constant hæc semina, ut PAUL. HERMANN. in *Cynos. mater. Med.* habet, sale volatili oleoso aromatico; aut, ut ETTMÜLLERUS loquitur, vis eorum consistit in particulis falsis, oleofis volatilibus, suavi inter se commercio sociatis, & particulæ acidæ volatiles pingues sunt, in quibus primario vis aromatica consistit. Mirum hinc non est, quod semen hoc multorum ferculorum possit existere condimentum. Supra jam innui, quod ad decocta pro potu ordinario soleatrequentissime adhiberi. Combinatur ut plurimum cum Semine Anisi, C.C. usto, Hordeo & Liquiritia, ubi tamen simul notandum, quod mulierculæ istum continuo fere committant errorem, ut diutius talia semina decoquiant, quo fit, ut virtus eorum quoad magnam partem avolet, cum præstaret ejusmodi virtutibus aromaticis imbuta corpora sub finem decoctionis tantummodo injicere. Et pauperibus & divitibus inserviunt: Pauperibus quidem illis per se, divitibus saccharo incrustatis utentibus. Æque enim ac ex aniso confectiones faccharinæ quoque ad delicias hominum convivales cum fœniculo parantur. Saccharum nempe ad confectionem destinatum probe prius aqua simplici & albumine ovorum clarificatum, ad consistentiam saltem syrapi paulo tamen crassiorem coquendo redigitur. Quo facto semina fœniculi optimè mundata aheno largo, sed planiori non profundo, ex cupro immittantur, quæ aheno super igne lenissimo suspenso calefiant, deinde de prædicto saccharo liquido, calido nonnihil, pro modica saltem seminum humectatione inspergitur, atque hinc inde subito commo-

veantur & concutiantur artificiosa jectigatione aheni, ne conglomerentur , denuo totaliter exsiccantur leni calore carbonum infra ahenum collocato , quo facto ulterius sacchari liquidi tantum inspergitur, ut iterum semina madefiant modice, & uti prius continua jectigatione commoventur, & exsiccantur , hicque labor toties repetitur humectando & exsiccando, donec sufficienter saccharo sint obducta. Cum autem tales confectiones imprimis Viroduni elegantissime præparentur, hinc & confectio seminis fœniculi optima exinde obtinetur.

§. X V.

Refertur hoc semen inter semina quatuor calida majora, quæ sunt Fœniculi, Anisi, Carvi, Cumini, quæ ob partes constitutivas stomachica virtute atque flatus pellente vi gaudent, unde & semina carminativa audiunt. Et certe cum semen fœniculi obtineat partes facile exhalabiles, mobiles, sulphureo salinas, non mirum quod stomacho atque intestinis prodeesse possit , quod calorem resuscitet, atque restauret, solutionem adjuvet assumptorum & villos atque fibras nerveas roboret. Audiamus ETTMÜLLERUM ita hac de re differentem ; semen fœniculi inter carminativa quatuor calida majora, viscidum nimirum attenuando, & stomachi intestinorumque flatus potenter discutiendo primatum obtinet. Egregium est stomachicum , dum præter alia commoda vi aromatica spiritus influos recreat, digestionem valide promovet, acidas cruditates in primis viis & inde natos flatus interne ac externe egregie discutit & resolvit, unde in Tragæas pepticas post pastum assumentur semen fœniculi , hinc in colicis pathematisbus, in convulsivis intestinorum malis, herniis &c. horum usus est egregius. Confirmat id historia ab HELMONTIO l. 5. duumvir. & l. de flatibus allata. Cum enim hernioso incurio ad capitis magnitudinem increvisset tumor scroti ; & intumuisset mirum in modum,

dum, obtulit haustum vini semel bulliti cum semini-
bus contusis Anisi, Carvi, Foeniculi & Coriandri, statim
hinc emollita duricie & hernia retro impulsâ, facto u-
nâ, quod improbat tamen, fotu cum lacte & stercore
bubulo. Sicuti autem optime debemus cavere, ne talia
semina diu decoquantur, quod tenuis & volatilis vis
ab igne facile propellatur & aufugiat, ita quoque eo
annitendum, ne nimio usu fœniculum flatus nimis ra-
refaciendo, imo de novo producendo malum adauge-
at. Celebratur præsertim hunc in finem confectio se-
minis fœniculi, cui præterea plures aliæ tribuuntur
qualitates, præter enim eas, quas habet cum semine
crudo communes, virtus ejus ophtalmica ad visum
confortandum maximopere celebratur, adeo ut TAB-
BERNÆMONTANUS afferat, quod, si quis fœniculum fac-
charatum quotidie mane & vesperi comedat, nunquam
sit passurus vitia oculorum, & aciem visus usque ad fi-
nem vitae sit conservaturus. Gravidis in primis emolu-
mento esse afferit. HIERON. REUSNERUS observ. med.
108. dicens; semen hoc faccharatum confortare fœtum
in utero, vomitum gravidarum & nauseam arcere &
plurimum quoque facere ad abortum prohibendum.
Commendatur porro senibus pro confortatione & con-
servatione sanitatis. Emendat anhelitum, ne dicam
jam de aliis facultatibus. Inservit quoque ad lac au-
gendum, quem in finem etiam inservire a KOENIG per-
hibentur sequentes rotulæ. Rx. Nuc. Pin. Amygd. dulc.
a 3j. sem. Fœnic. Rap. Petrosel. a 3j. facchar. aqu. fœ-
nic. solut. q. s. fiant rotulæ. Cæterum quod vim carmi-
nativam hujus seminis concernit, illam sequenti ex-
pressit rythmo SCHOLA SALERNITANA c. 49.

Semen fœniculi pellit spiracula culi.

Der Fenchel-saamen treibt und jagt
Die Gang des Hindertheils mit Macht.

§. XVI.

Ratione particularum oleosarum lac promovet & auget atque imminutum restituit , quatenus nempe chylum in majorem orgasmum ciet, & particulis suis oleofis serum balsamicum magis fluxile reddit , quo colatione in mammis aptius deinde fiat : moleculis suis porro oleoso salinis volatilibus acido contrariis coagulum humorum impedit & ad faciliorem secretiōnem disponit. Ad lactis copiam in nutricibus producendam sequentem pulverem multi extollunt. Rx. pulv. sem. foenic. ʒ. 3. sem. lact. sem. petrosel. sem. aneth. sem. anis. a 3ij. f. pulv. dos. ʒiv. cum vino albo mane ventriculo jejuno, poterit tamen etiam alio in vehiculo assumi, sicuti quoque in decocto pro potu ordinario ad eundem scopum prodesse poterit. Sunt qui in lacte ebullitum & potatum uberem lactis copiam suppeditare asserunt. Non nocebit si cum floribus sambuci in lacte decoctis hoc semen jungatur. Non multum à viribus anisi & hac in re abludit foeniculum. HERMANNUS sequens commendat remedium. Rx. Rad. fœniculi ʒiv. sem. foenic. ʒj. f. decoct. ad lactis generationem in mammis. TABERNÆMONTANUS semen fœniculi cum Mentha contusum & cum pinguedine porcina mixtum mammisque impositum, deprædicat ad tumores earundem discutiendos.

§. XVII.

Cum ob sal volatile aromaticum oleosum visceribus amicissimum, fœniculum aperiat, resolvat, incidat, attenuet, abstergat atque discutiat, variis in affectibus, uti successive explanare conabor, summo usui poterit esse. Egregium existit remedium Becchicum sive pectorale, dum in tussi, asthmate tam humorali quam flatulento & convulsivo, orthopnœa & raucedine mire conductit. Cum enim sulphure blando volatili oleoso vel aquoso constantia a WEDELIO in Amœn. Mat. l. 1. S. 3. c. 4. inter thoracica referantur, merito & eorum nume-

numero annumerandum semen fœniculi, hinc & pul-
 verem ejusdem authoris pulverem bezoardicum balsa-
 micum ingreditur seminis hujus oleum, est autem hic:
R. Rad. Glycyrrh. $\frac{3}{4}$ j. rad. Ir. Florent. $\frac{3}{4}$ j. flor. $\frac{1}{4}$ r. $\frac{3}{4}$ b.
 flor. benz. $\frac{3}{4}$ j. sacchar. cant. alb. $\frac{3}{4}$ j. olei Fœnic. ol.
 anis. destill. a- gtt. x. **Cl.** [DEODATUS in Panth. Hygiast.
 clinodii loco liquorem mirabilem ad asthma & pecto-
 ris angustiam, præsertim in infantibus & nuptis a cras-
 sis & tartareis humoribus asservandum præcipit. **R.**
 Rad. Ireos florent. Viol. liquir. tussilag. a $\frac{3}{4}$ j. rad. Im-
 per. $\frac{3}{4}$ ij. Enul. Camp. $\frac{3}{4}$ j. sem. fœnic, anis. a. $\frac{3}{4}$ b. Pul-
 verifatis affunde aceti acerrimi tbj. stent. in loc. cal.
 per noctem; cola, exprime & in expresso liquore dis-
 solve sacchari tbij: dissoluto saccharo adde spirit. **Oli**
 vel ol. tartar. $\frac{3}{4}$ j. Vin. Malvat. $\frac{1}{2}$ b. Dosis mane & ve-
 speri cochlear. **2.** Evacuata materia ab usu ejus desisten-
 dum. Cum itaque sit pectorale semen, suisu ETTMÜL-
 LERI, gravidæ mulieres illud debent comedere in tu-
 ffi & affectibus pectoris ut remittant. Et dicunt autho-
 res, quod fœtus in lucem postmodum editus clareat
 elegantibus oculis. Qui ergo vult filios oculis pulchris
 habere, commendet hoc semen gravidæ maritæ in tu-
 ffi & aliis pectoris affectibus. HERMANNUS sequentem
 suppeditat formulam. **R.** Rad. Helen. $\frac{3}{4}$ j. sem. fœnic.
 $\frac{3}{4}$ b. passul. min. $\frac{3}{4}$ b. f. decoct. in asthmate & tussi. Sunt
 qui decocta pectoralia cum fœniculo parata in asthma-
 te & tussi inveterata probant. TABERNÆMONTANUS ad
 affectus pectoris præsertim à frigore oriundos seque-
 tem commendat formulam. **R.** Sem. Fœnic. $\frac{3}{4}$ j. femin.
 rutæ, bacc. juniperi, Liquiritjæ, Cinamomi, aa $\frac{3}{4}$ j. o-
 ptime pulverisa, postmodum cum melle in electuari-
 um redige, de quo mane & vesperi dosis Castaneæ
 magnitudine assumatur. Pectus calefacit, expurgat &
 expectorationem promovet. Si semen hoc cum radice
 polypodii & foliis rorismarini decoquatur, decoctum
 melle edulcoretur & ad aliquot uncias aliquoties de

die hauriatur, in raucedine prodesse & vocem claram reddere perhibetur.

§. XVIII.

Inter pectus & renes quædam intercedit convenientia, hinc in affectibus & doloribus renum partiumque urinariarum magnum quoque levamen præstare aptum existit Fœniculum. Dum enim, verba sunt ETTMÜLLERI tussi & asthamati medetur, postmodum renes detergit, neve calculus concrescat, impedit, quatenus sal volatile temperatum corrigit acidum calculi coagulatorem. Urinas ciet, calculus pellit, & in Ne-phritide conducit. Stranguriæ ab acido præprimis oriundæ medetur. Quidam Practicorum sequentem commendant pulverem. Rx. Sem. Fœnicul. ʒj. sem. Anisi, Saxifrag. alb. Glycyrrh. sem. Carv. Petrosel. sem. Mil. Sol. a. ʒβ facch. ʒj. fiat pulvis cuius dosis ʒj. cum vino albo. TABERNÆMONTANUS tradit, pulverem ex seminis Fœniculi ʒiβ. semin. petrosel. ʒj. & gran. pi-per. ʒβ. confectum doloribus Renum mederi, si in casu præsertim necessitatis ad ʒj. usque in decocto seminis fœniculi assumatur. Ob vim talem diureticam utique etiam in Hydrope prodesse poterit. Modo dictus Author suadet, ut semen hoc pulverisatum sæpius cuspiditatim cum vino albo aut aqua fœniculi assumatur, insuper sequens deprædicat remedium. Rx. Sem. fœnic. ʒxiijβ. Sem. Carv. ʒj. ʒiij. Sem. anis. ʒβ. ʒβ. Sem. Cummin. ʒj. ʒij. rad. Mei. ʒβ. rad. Ireos ʒβ Msc. f. pulvis, quem misce cum Vini albi lbvj, mellis depurati ʒxvij. De hac mixtura quotidie jejuno stomacho quatuor assumantur cochlearia, expectando in lecto sudorem.

§. XIX.

Inter aphrodisiaca remedia refertur: nam cum putante GALENO omnia aromatica calida & flatuosa sint venerem stimulantia, quare fœniculum ex horum reme-diorum classe eximas? Orgasmum enim solum fœnicu-lum

lum manducatum in semine excitat , sicque per consequens incitatur natura, hinc Poëta canit :

Semen cum Vino bibitum Veneris movet actus.

Et quis dubitabit minores multo hac in re habere fœniculum vires, quam ipsum Anisum ; Cum semine hac in re concordare dicuntur & radix & herba fœniculi.

§. XX.

Uterinum quoque censetur medicamentum, & quidem non abs ratione. Uteri enim obstructiones referat & menses prolicit , ac quoniam simul est carminativum, mulieres a doloribus in abdомine , hypochondriis & aliis locis, ubi malum a flatibus præsertim ortum duxit, liberat. Menses proritantur, si quotidie mane & vesperi ad 3j. & ultra cum vino albo assumatur, teste TABERNÆMONTANO ; qui insuper vaporem decocti herbæ fœniculi ad genitalia admissum hoc in casu conducere, prohibet. In cardialgia, quæ fœminis malo hysterico laborantibus non infrequens est , efficax deprehenditur. Puerperas dicitur purgare; & juxta SCHWENCKFELD mulieres frigidas steriles juvat. Decoctum seminis fœniculi ex aqua cum passulis in Chlorosi aliisque fœdis corporis coloribus emendandis laudatur a BALLONIO in *consiliis*. L. MERCATUS de *sterilium & prægnantium affect.* fœniculum quomodo cunque haustum pudendis amicissimum esse scribit, & quidem, uti alii volunt, in utroque sexu. Sæpiissime jam citatus TABERNÆMONTANUS suadet , ut in tumoribus partium genitalium imponatur cataplasma ex semine fœniculi pulverisato cum melle & adipe mixtis paratum, eandemque vim etiam tribuit radici decoctæ in vino & oleo , quam porro laudat in læsionibus membra virilis, & labiorum in genitalibus sequioris sexus , si vapor decoctæ radicis usurpetur, & decoctum ipsum cum oleo pro fotu adhibeatur , qua de re etiam aliqua occurrit mentio in versibus, quos MACER de Marathro reliquit, quosque postea apponam.

§. XXI.

Ob vim incidendi attenuandi & aperiendi Hepatis & Lienis infarctus expedit, & viscera ab obstructi-
nibus liberat, humoresque viscosos digerit & resolvit.
Conducit præterea in Hydrope, ut supra jam dictum
est, item in Ictero, quibus in casibus æque prodest se-
men ac radix. Quidam sequens ad icterum commen-
dant remedium. R. Sem. fœnic. rad. fœnic. ana p. ij.
rad. petros. p. j. coqu. in f. q. aqu. ad consumpt. me-
diatis, de colatura R. 3ij. dissolv. in ead. trochisc.
de Lacca 3j. & hauriatur pro una vice, continuetur
aliquot diebus tribus aut quatuor horis ante cibum.
Celebratur quoque usus hujus seminis, tum recentis
tum siccati in febribus varii generis, quotidiana, ter-
tiana & quartana, ad quos morbos radicem, herbam
atque succum commendant.

§. XXII.

In variis porro capitibus affectibus locum quoque
habet fœniculi semen, dum enim particulis suis balsa-
micis, Spiritibus nostris accommodatissimis & amicissi-
mis, scatet, haud inimerito egregium cephalicum me-
dicamentum constituit. Juvat vertiginosos, sive idio-
pathicum sit malum, sive sympatheticum. Consulunt
propterea, ut mane & vesperi dimidium cochleare hu-
jus seminis bene masticeatur & postmodum deglutia-
tur. Sunt qui hoc semen cum æquali seminis Corian-
dri portione in pulverem redigunt, & deinde quotidie
cuspitatim assumunt, pro scopo vertiginem arcendi
& memoriam confortandi. TABERNÆMONTANUS rursus
in eundem finem commendat hancce formulam. R.
Sem. Fœnic. repurg. 3i. Sem. Anis. 3i. Sem. Carv.
3ij. fol. salviae, fol. Betonic. Piper. long. Visc. Quern.
Nuc. Mosch. rad. Liquir. a 3j. Sem. Aquileg. Cubebar.
Cariophyll. ana 3i. de quo quotidie bis aliquot cultri
cuspides assumantur.

§. XXIII.

Quod si ulterius perpendamus partes fœniculi constitutivas, neque ipsi virtutem denegabimus alexipharmacam atque expulsivam; sic decoctum feminis & herbæ fœniculi in variolis & morbillis usurpari, jam supra innuimus; & in morbis etiam continuis decoctis pro potu ordinario immittitur ad conservandum tonum ventriculi, & flatus tum arcendos, tum pellen-dos. Illud autem semper ante oculos versetur, ne quid nimis. Venenis resistere dicitur, unde Poëtarum quidam canit:

Bis duo dat Marathrum, febres fugat atque Venenum.

Vescuntur autem propterea semine vel nudo, vel aliis maritato in liquore, præcipue vino, hinc MACER:

Cum vino cunctis obstat hæc herba venenis.

Nullam etiam video rationem, cur non iis, qui Belladonnam, aut helleborum, aut aliud noxium assumferunt, auxilio esse queat æque ac Anifum, cum quo aliis etiam in virtutibus symbolizat. Virus nocivum, certe si ad 3j. assumatur, domare aptum est. TABERNÆMONTANUS pulverem feminis fœniculi cum melle in limentum redactum commendat ad morsum canis rabidi, interne autem fœniculum cum vino albo assumptum ad morsus & puncturas serpentum atque scorponum depraedat. Nullum dubium est, quin ob vim hanc Bezoardicam ingrediatur Theriacam, Mithridatum &c. Audiamus MOSEN CHARAS ita loquentem: Hoc solum adducam, fœniculum dulce & exultum, præsertim florentinum, agresti in Theriacæ dispensatione esse anteferendum, non modo ratione saporis grati & aromatici, sed præsertim magnitudinis elegantiæ & viridescentis coloris, ac præterea non pauca insuavia medicamina tum sapore tum odore Theriacæ se immisceant, adeo ut omnino admittenda sint illa quæ

grati aliquid præ se ferunt. Teste ADAMO LONICERO
de nat. & virib. plant. miscetur quoque Theriacæ Antio-
chi Regis, cuius descriptionem hanc tradit. Rx. Sem.
Fœniculi, Anethi, Anisi, Ammeos, Petroselini ana 3vj.
Trifolii acuti odorati 3j. Milii, Serpilli, Farinæ Vicia-
rum, succi Angelicæ vel Opoponacis ana 3ij. his con-
tusis ac cribratis, cumque vino subactis optimo, Tro-
chiscos conficito, quos arefactos ad usum reservabis,
ac drachmia ejus in vino sumpta corpus ad desudatio-
nem cooperies. Evidentissimum hoc præ aliis con-
tra venenum est antidotum.

§. XXIV.

Quid differam de aliis hujus seminis virtutibus,
dum vi carminativa, discutiente, & oleosis suis parti-
bus obtundente, doloribus variis medetur, & tormina
etiam in infantibus sedet, dum palpitationi cordis a
flatibus potissimum oriundæ succurrit, dum particulis
suis oleosis somnum conciliare efficax est, dum tre-
morem artuum corrigit, & in Ephialte laudem mere-
tur, dum purgantibus æque feliciter ac Anisum admi-
scetur. Meretur audiri hac de re REINERUS SOLENAN-
DER in *Confil. Med. S. 5. cons. 2.* ita loquens: Quod sub-
scribo electuarium in eos usus poterit etiam frequen-
ter admitti, quo usus est alias Romanus quidam Pon-
tifex podagricus, id gratum est, & nos tuto sæpe nu-
mero eo sumus usi. Componitur autem hoc modo.
Rx. Succi foliorum Fœniculi ad ignem depurati fl. 2.
mellis despumati fl. j. coquantur lento igne usque ad
succi consumptionem, removeatur ab igne, cum pro-
be refrigeratum fuerit, immisce Zingiberis 3fl. Her-
modactylorum mundatorum 3fl. Ossium ustorum 3ij.
Ex eo alias ter singulis septimanis exhibui quantita-
tem castaneæ in juscule, 3vj. vel 3j vel 3fl. in decocto
seminis Anisi, Fœnicul, Carvi, cum pauca Senna & A-
garico in sindone. ROSIN. LENTILIUS in *Jatromnematibus*
Theoretico Practicis p. i. c. 70. hæc pronunciat verba:
Fœni-

Fœniculata quovis modo usurpata, specifica sunt in hæmorrhagia narium. Meretur hanc in rem allegari Dn. BENIAMIN SCHARFFIUS, ARCHIATFR SONDERHUSA SCHWARTZENBERGICUS qui in *Ephem. Naturæ Curiosorum*, Dec. 3. anno 5. & 6. Observ. 85. hæc tradit: Persona illustris sexus nobilioris 16. annorum, patre nato huic malo, scil. hæmorrhagiæ, in juventute sua sæpius obnoxio, fluxum sanguinis per nares singulis fere diebus & noctibus satis enormiter patiebatur; & quanvis varia tentarentur remedia, quæ sanguinem ad tempus cohiberent, semper tamen malum hoc recrudescebat, neque unquam vietas dare palmas volebat. Tandem suauem Amici sæpius comedit semen fœniculi, ut & stolones & summitates herbæ illius viridis, quod cum per 1. mensem continuaret, fluxus ille remorari, & tam in quantitate, quam crebriori insultu, remittere visus est: jussi proinde, ut in usu horum pergeret, quo facto, usque hoc per 3. 4. menses continuato, liber jam ab omni narium hæmorrhagia per biennium nunc vivit Illustrissimus hic juvenis. Modum hujus operationis constitutum fuisse in balsamica hujus herbæ seminis virtute, mediante qua acrimonia feri fuit mitigata, & ad statum naturalem reducta, constat. Hinc procul dubio FRANCISC. DE LE BOE SYLVIVS in *Med. Practic.* Fœniculum & varia ex hac herba parata medicamenta, aliique Practici, in usum traxerunt. Quid, quod in quamplurimis oculorum vitiis, ut ophthalmia, rubidine, dolore, prurigine, suggillatione, ulceribus &c. a vitiosa feri constitutione dependentibus, fœniculum utramque absolvat paginam, manifesto indicio, balsamicæ ferique emendandi adque statum naturalem reducendi qualitatis. Sic & eundem hujus herbæ & seminis usum in reliquis feri & sanguinis acrioris vitiis summopere esse proficuum patet, dum omnem acredinem vitiosam emendat, serum & per consequens etiam sanguinem vitiosum & acrem corrigit, flatus crassos & acres diffi-

dissipat, & expellit, pituitam crassam, tenacem & acriorem, utpote quæ nihil aliud est, quam serum vitiosum & coagulatum, balsamica sua vi resolvit, viscerumque sic obstrukiones referat ; Ex quibus ratio facile patet, cur a veneranda antiquitate radix fœniculi inter celeberrimas illas V. radices aperientes fuerit relata.

§. XXV.

Offert se hic tandem tantopere decantata virtus ophthalmica, quæ non minori gradu in semine, quam in herba & reliquis plantæ partibus emicat. Prodeat ETTMÜLLERUS ita loquens : præter semen Euphrasiæ nullum præstantius est ophthalmicum internum hocce semine fœniculi. Sunt qui dicunt, si fœminæ comedentes fœniculum halitum inspirent oculis infantum, & oculos illis reddant clariores & lucidiores, quod etiam ad oculos variolis clausos jubetur applicari. Ad visum certe conservanduni, restituendum & acuendum magnopere extollitur; Hinc supra jam dictus poëta :

Bis duo dat Marathrum febres fugat atque venenum.

Et purgat stomachum, lumen quoque reddit acutum.

SALERNITANI de corroborantibus visum c. 79. ita pronuntiant :

*Fœniculus, Verbena, Rosa, Chelidonia, Ruta,
Subveniunt oculis, dira caligine pressis,
Nam ex istis aqua fit, quæ lumina reddit acuta.*

Commendatur à multis pro conservando visu eoque acuendo, ut mane & vesperi, vel etiam post prandium aut cœnam aliquid de hoc semine vel sibi relicto, vel saccharo incrustato adhibetur. Innumera fere ad oculorum affectus conducentia ingreditur medicamina. Longum nimis foret, si illis esset inhærendum, quare tantummodo aliquot ex Authoribus delibabo. Georg Bartisch in dem Augendienst hæc inter alia suppeditat.

R. Sem.

& Sem. Foeniculi ȝiȝ. ȝij. Sem. Anis. ȝiȝ. Sem. Rutæ
 ȝiȝ. Galang. ȝj. Camphor. ȝȝ. Moschi ȝȝ. Pulverisa &
 cum saccharo, ad libram sacchari ȝiȝ. prædicti pulve-
 ris sumendo, confice tragema, quod ad ȝj. tempore ne-
 cessitatis assumptum, impedit, quo minus oculi læ-
 dantur, si aliquid assumptum fuerit, quod iis posset
 esse nocivum. Idem author sequens quoque condi-
 mentum, omnibus esculentis inspergendum, mire
 confortans atque conservans lumina, atque ea nitida
 & activa reddens, commendat. & Herb. Rorismar. ȝiv.
 Verbenæ ȝij. Thymi, flor. Euphras. ana ȝiȝ. Cinamo-
 mi, Caryophyllorum ana ȝij. Sem. Foenicul. ȝiȝ. Sem.
 Anisi ȝj. Msc. f. pulvis; a quo non multum discrepat
 subsequens, & Herb. Rorismar. ȝij. Summit. Serpill. ȝiȝ.
 Major. fol. rutæ, Caryophyllor. Galangæ ana ȝj. Sem.
 Foenic. Anis. ana ȝvj. Msc. redigatur in pulverem pe-
 pticum, de quo post pastum, quantum aliquot cultri
 cuspidibus comprehendi potest, debet masticari, & post-
 modum deglutiri, ad debilitatem visus & oculorum cor-
 rigendam. TABERNÆMONTANUS sequens mirifice lau-
 dat. & Sem. Foenic. ȝj. Sem. Aneth. Levist. Petrosel.
 Ammeos, Chelid. maj. Sil. montan. Carv. fol. Euphras.
 Salv. Major. Rutæ, Origan. Hyssop. Puleg. Serpill. flor.
 Beton. Primul. Veris, Pip. long. Cinam. Zingiber. Ze-
 doar. ana ȝȝ. f. pulvis subtilissimus, trajiciatur per cri-
 brum, sumatur cum cibo, vel fiat mixtura ex parte
 una hujus & duabus salis tenuissime triti ac cibrati, &
 loco salis cum cibis usurpetur. Nec suo usu defutu-
 rum promittit idem hocce electuarium, ad visum de-
 bilem confortandum, & ad bonam oculorum consti-
 tutionem retinendam. & Sem. Foenicul. ȝiȝ. Euphras.
 ȝȝ. Caryoph. Macis, Piper. long. Cinam. Cubebar. ana
 ȝj. Postea & Mell. Virgin. ȝxx. Succ. Foenic. rec. expr.
 ȝj. succ. rad. Chelidon. major. succ. rutæ ana ȝȝ. super
 igne leni redigantur ad debit. consist. postmodum com-
 misceatur pulvis prædictus, & f. l. a. Electuarium mane

jejuno stomacho & vesperi cubitum eundo ad magnitudinem Castaneæ assumendum. Præfatus Bartisch ad Nyctalopiam commendat insequentem formulam. Rx. Hepatis Hircini pulver. ʒiij. Rad. Alc. Rad. Bon. Henric. ana ʒj. Sem. Fœnic. Rut. ana ʒiij. Lapid. Rubin. ʒj. cum ℥ij. Mellis depur. & ℥iij. Theriac. f. elect. de quo capiatur mane & vesperi drachma una aut altera, cui jungit sequentem aquam, qua oculi frequenter foveri debent. Rx. Hirund. deplum. n. iij. Herb. Secal. rec. ʒiij. Herb. Fœnic. rec. stercor. Gallin. sterc. capril. rad. Cichor. ana ʒiij. Succin. flav. ʒiij. Mosch. ʒiij. Infund. in q.s. Aqu. Liliorum Convallium, stent in digestione per 3. dies, postmodum fiat destillatio, & aqua prolecta mane & vesperi usurpetur. Mereri videntur adhuc allegari verba SIMONIS PAULI in *Quadripart. Botan.* quæ sic se habent. Si qui sunt studiosorum, qui caligine oculorum nativa, vel etiam ex lucubrationibus adscitia laborant, iis quoque confectio seminis Fœniculi, post vel ante prandium & cœnam commendanda. Iisdem, & tenuioris fortis aliis caligine oculorum laborantibus, conducibile quoque est, ut jejni mandent Fœniculi semen, mox cavas manus aut potius apices digitorum aptent fronti, manibus vero utrimque junctis faciem operiant, mox halitum oris exhalent, quo is feriat oculos; quin etiam vulgus doctus est, sputo jejunio, Fœniculi semine, ut ita dicam, imprægnato, sibi adversus dictum malum oculos, aut palpebras potius, oblinere. Sed satis de his, properandum ad alia.

§. XXVI.

Usum Fœniculi externum, quamvis hinc inde de eo jam mentio facta fuerit, quædam tantummodo adhuc addam. Commendantur omnes ejus partes ad contusiones & suggillata. Vapor decocti fœniculi auribus exceptus, tinnitus curat, & si qui Verimes insunt, prolicit. Idem per nares attractus olfactum restituere dicitur. Pulvis dentes reddit nitidos affrictu, & gin-

gingivas purificat. Tineas capitis, præsertim si pulvis feminis sulphuri vivo & Nitro maritatus cum vino in unguenti formam redigatur, atque pars affecta inungatur, curare perhibetur pro certo, præsertim si mane decocto feminis cum vino facto abluatur, id quod jam SERENO Poetæ cognitum fuisse testantur ejus versus, qui sic sonant:

*Aut tu Fœniculum Nitrumque & sulphure vivo
Contere, deinde caput permixtis ablue cunctis.*

Ad hæmorrhagias sistendas, Fœniculi tota substantia in cineres redigatur, cinis deinde vulneri inspersus in momento sanguinis fluxum tollere narratur ; qua de re rursus SERENUS canit :

*Præterea nimios reserati vulneris amnes
Fœniculi cinis adstringit.*

Imprimis autem & externe totius Fœniculi virtus de-prædicatur ophthalmica, quæ pluribus posset formulis confirmari, si vela non essent contrahenda. Unius itaque aut alterius tantummodo recensionem instituam. Supra allegatus Bartisch ad cataractam sic dictam albam prodesse asserit. R. Herb. Levist. folior. Laur. Rad. Valerian. ana mj. Sem. Fœnic. Cumin. herb. Basil. ana ſj. Decoquantur in vase optime clauso, postmodum vapor decocti calentis excipiatur oculis capite bene tecto. Ex TABERNÆMONTANO ad naufragium fere usque hactenus allegato, duo sequentia tantummodo repeatam. R. Rad. Fœnic. recent. contunde & succum ex-prime, cuius ſj. commixta cum ſb. mellis constituit collyrium egregium ad oculos debiles & caliginosos. Nec, nunc annotandum, omnino spernendum videtur linimentum. R. Succ. ex Fœnic. recent. expressi ſjv. succ. Rutæ, succ. Absinth. Mell. Virgin. Urin. Juven. San. Vini albi gener. ana ſij. Aloës Epat. ſb. Hæc intime commixta super igne leni redig. in debitæ consistentiæ linimentum, quo mane & vesperi inungantur

oculi. Hoc modo non tantum visus roborabitur, sed & cum tempore maculæ in oculis disparebunt. Pluribus Fœniculi tum externis tum internis recensendis virtutibus nunc supersedeo, qui easdem nosse cupit, ad eat prænominatos Authores, aliosque & imprimis dissertationes, quæ dicuntur esse de Fœniculo conscriptæ, quarum tamen nullam me conspexisse, ut supra jam innui, profiteri audeo.

§. XXVII.

Hanc virium, quibus gaudet Fœniculum, expositionem non credo melius claudi posse, quam si etiam celeberrimos, qui de hujus plantæ usu scripserunt, Poëtarum percipiamus sermones. ÆMILIUS MACER VERNENSIS de *Herbarum virtutibus* ita canit :

*Fœniculum Medici calidum, siccumque secundo
Dicunt esse gradu, Marathrum Græcus vocat
illud :*

*Cum vino cunctis obstat hæc herba venenis,
Hac mansa serpens oculos caligine purgat,
Indeque compertum est humanis posse mederi
Illam luminibus atque experiendo probatur.
Radicis succus mixtus cum melle recenti,
Pulsa reddit eos omni caligine claros.
Expressus marathri viridi de semine succus
Soleque siccatus, magnum medicamen habetur,
A quisunque velis oculorum pellere morbos.
Auribus infusus vermes succus necat ejus.
Renibus in ptisana radix decocta medetur,
Cum vino fugat hydropicos potata tumores.
Sicque venenatis obstat morsibus illa,
Sic quoque pulmonis obstat jecorisque querelis,
Et sic Nutrici sumpta, fit copia lactis.*

Cum

Cum vino vel aqua radicis coctio sumpta
 Nephreticis & vesicæ morbis medicatur.
 Urinas purgat, & menstrua sumpta resolvit :
 Vel si trita super pectus hæc herba ligetur.
 Nausea cum vino sumpta sedabitur illa :
 Fervorem stomachi cum lympha mitigat haustor.
 Radix illius vino decocta dolores
 Fomento curat, patitur quos virga dolores
 Hoc quoque si jungas oleo facit, hocque perungas
 Ieus vel factos subito quoscunque tumores
 Apponas tritam juncto sedabit aceto.
 Semen cum vino bibitum Veneris movet actus,
 Hocque modo lateris diros sedare dolores,
 Dicunt, aut herba si sit decoctio sumpta.
 Tradunt authores, ejus juvenescere gustu
 Serpentes, & ob hoc senibus prodesse putatur.

STRABUS GALLUS in hortulo ita differit :

Nec Marathri taceatur honor quod stipite forti
 Tollitur, & late ramorum brachia tendit.
 Dulce satis gustu, dulcem satis addit odorem,
 Hoc oculis, quos umbra premit, prodesse loquuntur :
 Hujus item semen fœta cum lacte capellæ
 Absumptum, ventris fertur mollire tumorem,
 Cunctantisque moras dissolvere protinus alvi.
 Præterea radix Marathri commixta liquori
 Lenœ, tuffim perceptam repellit anbelam.

His tandem jungamus verba BAPTISTÆ FIERÆ MAN-TUANI in cœna ita loquentis :

Semina si chymo exurunt hortensia duro
 Fœniculi, & sicco non bene sana cibo.

Torridiora time sylvestria, renibus ingens
 Pharmacum, & urinæ nobile curriculum.
 Durius è lumbis sunt comminuentia saxum
 Sint tumido hæc femori pabula fœmineo.
 Ride infans, poterit reclusi munera lactis,
 Si viride hortense est, mox revocare Tibi.
 Ride infans molles, colubri experientia, ocellos
 Servari incolumes, hoc tibi posse docet
 Subversum & vento stomachum extendente tu-
 mentem
 Æquat in antiquis febribus esca potens.
 Semine si redaperta vigent membra omnia, totæ
 Gloria radici non minori exhibita est.

§. XXVIII.

Restat ut circumspiciamus quoque quænam ex
 nostro vegetabili prostent præparata. Non multa pro-
 feram de eo, quod quorundam locorum incolis in
 more positum sit condire panes maxime triticeos. In-
 greditur, ut EMANUEL KOENIG habet, panem bisco-
 ñtum, qui vino inditus illum sapidiorem reddit. R. ita-
 que juxta eundem, semin. Fœnic. ȝȝ. Galang. ȝj. Macis,
 Sal. decrepit. ana ȝȝ. farinæ triticeæ ȝȝ. cum Aqu. Fœ-
 nic dest. f. l. a. panis oblongus. Hic in clibano co-
 ctus, ubi refixerit, discindatur per medium in orbi-
 culos, qui denuo aqua Fœniculi madefacti in clibanum
 immittantur, ut duriores evadant. Non tantum gulæ
 sapit hic panis, sed & virtute medicamentosa, stoma-
 chica, carminativa &c. pollet. De confectione Fœ-
 niculi simplici supra jam dictum, ejusque vires descri-
 ptæ fuerunt. Plerumque inter bellaria tantummodo
 usurpatur. Nullum dubium, quin simili modo, ac pro-
 stat Anisum saccharatum laxativum, etiam confici pos-
 sit confectione Fœniculi laxativa. Ad quam parandam
 varii conceduntur modi, qui cum perspici possint in
 dissert.

dissert. HENNINGERIANA de Aniso, quam Dn. PRÆSES propugnavit, non opus est, ut hoc loco repetantur. Sunt qui etiam radicem conditam asservant, sed hoc rarissime contingit. TABERNÆMONTANUS asserit, quod DIOSCORIDES aliquique authores Græci laudarint jam suis temporibus Vinum Fœniculatum, quod Græcis dicitur Μαραθρίτης, Marathrites. Paratur Fœniculum pulverisatum cum musto fermentando. Alii radicem hoc modo ad vinum inde parandum usurpant, ad affectus multos, de quibus supra mentio est facta. Idem author meminit quoque Mulsæ sive aquæ mulsæ Fœniculi, quam potissimum ad affectus pectoris renum & vesicæ celebrat, quoniam autem rarius in usum cedunt, ideo nolo illis immorari.

§. XXIX.

In officinis prostat Aqua Fœniculi, quam obtainimus per destillationem, vel ex planta tota, vel ex foliis & summitatibus, vel ex semine solo. Præfert hanc aquam Fœniculi DAN. LUDOVICI in *Pharmacæa modernæ seculo applicanda*, aquæ Anisi, quippe quæ fatui quasi saporis est, sicuti in genere Aniso, ni parabilitas interdum præferendum juss erit, acceptius esse Fœniculum asserit modo dictus author. Valet hic illud, de gustibus non est disputandum. Pectus & pulmones expurgare, tussim sedare, respirationem liberiorem facere, vocemque reddere clariorem, perhibetur. Dicitur quod lactis copiam nutricibus pariat, obstructum hepar & lienem aperiat, ictero medeatur, hydropicis magno fit juvamento, urinas moveat, menses cieat; & quæ sunt virtutes aliæ. Cum malvatico aut Hispanico vino sumpta ad aliquot uncias sudorem excitare asserunt. Imprimis autem in oculorum affectibus & visu conservando & acuendo deprædicatur, si frequenter hauriatur, aut externe applicetur; Quidam suadent, ut per plures dies Aquæ Fœniculi 3*iv.* cum olei Fœniculi gtt. ij. mane & vesperi bibantur. Externe cum lintea-

mini-

minibus imponitur , aut etiam oculis instillatur , vel oculi ea lavantur atque foventur. Ad ruborem oculorum prodest , si momentum Camphoræ in ea dissolvatur. Quidam ut aqua hæc ad visus infirmitatem evadat efficacior , mel addunt & una destillant. Alii compositam magis reddunt addendo alia ophthalmica vegetabilia v. gr. Verbenam , Rosam &c. uti ex supra allegatis patefcit versiculis. Aqua Fœniculi perro faciem reddit nitidam , & membrorum genitalium læsionibus medetur , uti quidam volunt.

§. XXX.

Uno eodemque labore obtinetur cum aqua ex semine prolecta oleum. Destillatur ex lib. Fœniculi 3³. olei. Quidam , ut olei destillati Fœniculi copiam acquirant , ita procedunt. R. Sem. Fœniculi grosso modo contusi libvj. Fr. crudi m. ij. Aqu. pluv. lib. xxx. Macerentur simul per horas xxiv. & ultra , tum destillentur per vesicam , & tamdiu liquor abstrahatur , donec nullum amplius oleum in superficie appareat. Postea oleum supernatans separetur ab aqua per separatorium. In hoc , & aliis feminibus calidis , macerationis tempus non nimis diu protrahendum est , alias partes volatiliores avolare solent : hinc etiam ordinario recentia & viridia ad destillationem sumi consueverunt. De admixtione autem salium pro obtinenda majori olei copia hoc judicium fert MOSES CHARAS Chym. Reg. c. 16. Nonnulli unciam unam circiter Nitri , aut Salis , aut Tartari crudi , unicuique libræ feminis destillandi admiscent , cum id destillare intendunt , rati , uberiorem inde se copiam olei comparatueros , at quibus perspectum fuerit , quam magna proclivitate olea salibus fixis se conjungant , sicuti id observare est in saponis confectione , ij judicaturi sunt eadem salia , cum fursum nequeant evehi , procul dubio olei portionem quampiam sibi adsumptura , nedum majorem copiam inde expetandam. Certe cum semen Fœniculi in magna quantitate

titate obtineri queat, cur anxie copiosiori olei studemus prolectioni : Cæterum eadem poterunt in destillatione hujus olei adhiberi cautelæ, quæ observari solent in oleo Anisi, quas, cum prolixè descriptas cernamus in supra allegata *dissertatione de Aniso*, iis huc repetendis supersedeo. Illius tamen non possum non meminisse, quod quidam destillationi, sed male, præmittant putrefactionem semenis. Merito redarguit hunc errorem WEDELIUS in *Pharmacia in artis formam redacta* L. I. S. 3. c. 1. his verbis : Putrefactio pessundat olea ætherea. Hinc licet KERGERUS l. *de ferment.* scribat, ex putrefactis pomis citriis seu corruptissimis per putredinem, oleum citri bonæ notæ fuisse extractum & destillatum, attamen id, aliena videtur magis, quam sua fide, vel potius opinione scribere. Certum, inquam, est, ætherea olea pessundari hoc ipso, uti vicissim putrefactio usitator solum eo fine est, ut sal volatile acquiratur ; vel si quæ partes oleosæ remanent, præcipue in via sicciori, uti exemplo glasti patet, implicatis seu immersis iisdem & combinatis cum terreis particulis, attamen foetidum hinc potius oleum, quam æthereum subtile & crasin mixti continens, provenit. In collectaneis Chymicis Leydensibus hanc olei Fœniculi destillandi methodum suppeditat MARGRAEF. R. Herb. Fœniculi recentis post florem, & jam fere cum fructu m. j. vel ij. vel q. v. conscinde & contunde in mortario. Inde vesicæ cupreæ & affusa aqua pura per 44. horas macera. Tum fiat destillatio vel per MB. vel per Vesicam cum refrigeratorio, & prodibit aqua, cui innatabit oleum, quod seorsim servari debet. Non discrepat multum hic modus ab eo quem supra indicavi. Notat hic Dn. LE MORT in *Chymia Medico Physica*, destillationem semenis Fœniculi aliorumque seminum calidiorum melius per vesicam quam per Mariæ Balneum institui, ut in majori copia simul & semel destillari possint, & ut quantitas olei multo abundantior ob-

tineatur. Hæc duo si quis in Mariæ Balneo obtineri posse credat, per me licet, quamvis experientia 24. imo plurimum annorum contrarium me docuerit: at-tamen illis qui pompæ & pretio medicamentorum in immensum augendo student, ista via multo generosior videbitur, nihil æstimantibus viliori labore acquisita. Si enim per MB. 3j. Olei eliciatur, per vesicam 3ij vel 3ij. elici poterunt.

§. XXXI.

Ex Fœniculo quoque hoc modo oleum obtinetur juxta KUBERUM, ut annotat Weckerus. Semina Fœniculi cucurbita curva locantur, ad eorumque libram adduntur aquæ fontis purissimæ 3ij. & tepentis balnei calore macerantur: inde educitur oleum odoratum, quod stomacho roborando, flatibus discutiendis, orisque halitui commendando, plurimum præstat. Hujus si guttulæ aliquot cum iis pharmacis misceantur, quæ ad colicos dolores pro dejicienda alvo adhibemus, multum profunt. Quodsi loco aquæ in destillando vinum addideris, calidius oleum evadet, sed minus suave, minusque odoratum.

§. XXXII.

Oleum hoc Fœniculi æthereum est & aromati-cum, odorem & saporem Fœniculi exacte referens, gaudetque salibus volatilibus cum Ælis permixtis. Sal autem volatile, inquit WEDELIUS l. c. in oleis destilla-tis residere, demonstrabile est a priori, ex ipsa destil-latione, si enim per se destillentur, & propellantur vinculis solutis, manifesto sensibus se prodit sal volati-le, adhæret recipienti, videturque odore, gustu percipi-tur, quantum nempe ab oleo non potuit absorberi, sed seorsim coactum est existere. Tacemus quod ipsa sint sapidissima & saporem juxta ac odorem sui simpli-cis retineant. Mittimus quod v. g. oleum Anisi totum à frigore concrescat, & in squamas crystallinos ob-abundans sal volatile subtiliori sulphuri nuptum, instar sper-

spermatis Ceti fere, etiam in media æstate frigidí ap-
pulu concrescat, levissimo tamen calore fluxibilitatem
recuperans, quod tamen in oleo Fœniculi quoque ob-
servavimus. Miram ejus subtilitatem, & in incomprehen-
sibiliter exiguae partes resolubilitatem vel illud decla-
rat experimentum, quod duæ vel tres guttæ olei Fœ-
niculi æque ac olei Anisi, integrum amphoram aquæ
odore & sapore Fœniculino ita inficere possint, ut
quælibet particula aquæ odorem & saporem Fœniculi
referat. Edocemur & hoc experimento, quam subti-
les in partes Natura ipsa corpora redigere possit, ita ut
sæpiissime omnem rationis captum supereret. Unde non
statim argumentari licet, tantam subtilitatem ego non
comprehendo, ergo non est.

§. XXXIII.

Vires hoc oleum cum suo simplici obtinet com-
munes, sed quia particulæ salinæ volatiles atque sul-
phureæ magis sunt extricatæ, ideoque easdem habet
præstantiores. Descripsit illas PHILIPPUS GRÜLINGIUS
Medicus Stolbergensis in *Florilegio Hippocrateo Galeno Chy-
mico novo part. 3. c. 8.* cuius ipsissima propterea apponam
verba. Ad capitis morbos confert in aqua Betonicæ,
confortat miraculose memoriam & cerebrum in aqua
Liliorum convallium; vertiginem tollit in aqua Carvi:
Epilepsiæ, Maniæ, Apoplexiæ est præstans medicamen-
tum in aqua herbæ Paralysis; in Ophthalmia ut & ma-
cula, conglutinatione, panno, debilitateque visus fa-
nanda primas tenet partes in aqua Euphrasiæ; Amissum
auditum reddit in aqua florum Tiliarum: Tussi asth-
mati, pleuresi, sputo sanguineo lento mire confert, si ro-
tulis vel morsulis pectoralibus immisceas, vel in aqua
Veronicæ exhibeas. Confortando cor auget lætitiam
& impedit ejus palpitationem in aqua Borraginis: Ar-
dorem stomachi sopit in aqua Violarum. Ventriculo
est arcanum in aqua Menthæ. In omnibus affectibus
Hepatis utilissime datur in aqua Endiviæ vel Epaticæ
nobilis. In Hydrope, Tympanitide, Anasarca, in aqua

sifymbrii aquatichi. In ictero flavo & nigro in aqua Chamomillæ. Lienis oppilationes curat, item Melancholiæ Hypochondriacam in aqua Scolopendriæ. Ructus, flatus, dolores dorsi adimit in aqua Cymini. Urinam ciendo calculum aufert in aqua Ononidis. Cruentæ Urinæ confert in aqua Sanguisorbæ. Ischuriæ, dysuriæ & stranguriæ opitulatur in aqua Malvæ. Sperma & virilitatem auget in vino malvatico. Lactis copiam promovet in aqua Anisi. Colicas & arthriticas passiones funditus extirpat in aqua Jvæ arthriticæ. Sudorem promovet in aqua florum Sambuci. Et hominem usque ad vitæ terminum sanum atque incolumem conservat. Datur a gtt. ij. v. ad x. in prædictis aquis, brodio carnis, morsulis, rotulis, vel syrups vel conservis. Admiscetur pulveribus stomachicis, cachecticis, menses moventibus, aperientibus, carminativis. Assumi potest quoque cum aqua propria si exceptum fuerit saccharo. Uſus ejus externus a prædicto authore hunc in modum describitur. Vertici & naribus illitum Catarrhos suspendit, memoriam & caput confortando. Sic quoque rubedini nasi pustulisque faciei confert. Oculorum affectus, cujuscunque generis sint, curat. Dentium dolores, cum dolenti denti cum goſſyptio inditur, fedat. Eodem quoque modo auditus reparatur. Ventriculi concoctionem promovet. Colicæ, flatibus ructibusque confert. Dolores dorsi renunque obſtrutiones curat. Tumores, apostemata, contusiones sanat. Iis, qui apoplexia, Paralyſi, affectibusque arthriticis laborant, optime convenit. Pectori quando illinitur, ſputum promovet, Tuſſim lenit; asthma aufert & phthifi opitulatur. Externe vel ſolum partibus affectis illinitur, vel aliis unguentis admixtum adhibetur. Sunt qui ad morsus canum rabidorum & puncturas animalium venenatorum commandant. CONRADUS in *Medulla destillatoria & Medica p. I.* hæc habet: Wer einen Weiber-Biß heilen will/ der vermische diß Oel in Wachs-Oel/ und ſalbe den Schaden damit/ und vermenge Honig und Boh-

Böhnen-Oel untereinander/ und lege alsdan dasselbige über den Schaden. Ut jam virtutes alias, quæ huic oleo tribuuntur, sicco transeam pede:

§. XXXIV.

Ex hoc oleo destillato addito saccharo paratur Eikosaccharum Foeniculi, assumendo ut plurimum ad 3j. Sacchari, guttas viij. vel x. & paulo plures olei. In usum nempe, dicente WEDELIO, ceu numine tutelari cum faccharo miscentur olea destillata, & fiunt elaeo-sacchara, medicamenti genus extemporaneum & variis usibus aptum, quo ipso in momento quasi misceri queunt hinc cum aqueis, vino, interprete Saccharo scilicet ceu sale quodam essentiali sui generis. Non multum exinde abludit Confectio Foeniculi orbiculata, quæ a Jo. Jac. WECKERO in antidotario speciali l. 2. S. 39. sequentem in modum describitur. R. Sacchari albissimi in aqua rofar. dissoluti ibidem. Saccharum ad perfectionem exactam coquitur: deinde ab igne remotum diu pistillo agitetur, addanturque olei Foeniculi 3j. vel 3ß. probe miscentur, deinde per plicam lebetis in tabulam farina stratam spatula assidue Saccharum pari & æquali quantitate extrahitur: Rotulæ concretæ digitis auferantur, exiccentur, in ligneis arculis condantur, & sicco loco reponantur. Capitis affectibus conferunt, visum acuunt, pectoris angustiæ & difficultati respirandi succurrunt.

§. XXXV.

Nullum dubium est, quin ex semine æque ac ex Aniso per expressionem exprimi possit oleum. Id quod etiam CHARAS in *Pharm. Reg. Gal. l. 2. c. 1.* afferit, dicens. Non dubito quin itidem ex feminibus substantia & partium similitudine Aniso propemodum respondentibus, oleum obtinere liceat. Modum exprimendi videlicet ibidem, qui repetitur in *dissertat de Aniso* jam aliquoties allegata, quem propterea rursus recensere non necessarium duxi. Illud solummodo monere volui, quod

CHARAS sibi tribuat inventionem' hujus methodi ex Aniso
& aliis seminibus correspondentibus oleum obtinendi;
cum tamen jam in *Jac. Constantii de Rebecque Medicinæ Hel-*
vetorum Prodromi five Pharmacopææ Helvetiorum Specimine, ubi
agitur de oleis per expressionem paratis, clarissimis verbis
hujus olei Fœniculini expressi mentio fiat: Ita autem se
habent ista verba. In oleis, quæ ex seminibus minus suc-
culentis v.g. Fœniculi exprimuntur, conficiendis præstat
ut plurimum massam illam tritam in sartagine torrere, vel
vapore aquæ calidæ tepefacere. Oleum hoc Fœniculi
ad colicam flatuosam, tympanitem, dolorem, inflatio-
nem ventriculi utilissimum, nucisque moschatæ olei
succedaneum optimum.

§. XXXVI.

Ex oleo Fœniculi destillato potest utique cum
corpo pro balsamo, cera aut manna præparari Balsa-
num Fœniculatum, quod pro usu præfertim externo
non omni destituitur laude. Joh. HARTMANNUS in
præctica Chymiatrica hanc communicat formulam. R.
Extract. Sem. Fœnic. (cum spirit. Vini) ʒij. Ceræ albæ
aut Mannæ Calabrinæ ʒβ. Sal. Fœnicul. ʒiβ. Msc. su-
per igne lento ut fiat massa: Adde olei Fœniculi ʒiij.
vel ʒβ. M. & serva. Dosis a ʒβ. ad ʒj. cum aqua Rosa-
rum aut Menthae. Sunt qui cum oleo Fœniculi destil-
lato, ad instar Balsami sulphuris anisati conficiunt et-
iam Balsamum sulphuris Fœniculinum. Quo de ita
KOENIG differit. Balsamum sulphuris Fœniculinum pa-
ratur oleo Fœniculi destillato super extracto balsami
sulphuris terebinthinati affuso. Simili quoque, inquit
GRÜLINGIUS in *Florilegio Hippocrateo Galeno Chymico p. I.*
17. e. 6. modo ac balsamus sulphuris anisatus potest
præparari balsamus susphuris Fœniculatus, qui author
insuper sequens Balsamum sulphuris compositum com-
mendat. R. Flor. Sulphuris ʒj. Myrrh. elect. Aloes,
Croci ana ʒβ. ol. Fœnicul. Anisi, Terebinth. ana ʒiβ.
fiat Balsamum, quod specificum pulmonis est; nam
curat

curat asthma, tollit antiquam & recentem tussim; ulcera pulmonum abstergit & consolidat: in phtisi nil certius: prophylacticon & pharmacum in peste, aliisque morbis contagiosis: Externe si quis ulceræ eo illinit, brevi tempore ipsa sanantur, sudorem expellendo febres abigit & curat. Venenatorum animalium moribus resistit. Dosis ad gtt. viij. ad x. vel xiij. in convenienti véhicule. Cautelas, quæ & in hoc Balsamo sulphuris Fœniculato Phthifícis propinando adhibendæ, vide in *dissert. de Aniso.* Posse etiam vél cum hoc oleo vel semine ipso Fœniculi componi spiritum Salis Ammoniaci Fœniculatum, nullum dubium videtur. Interim paulo rarius solet in usum trahi, cum anisatus profest in officinis.

§. XXXVII.

Pergo ad alia ex Fœniculo præparata. Reperiuntur, qui extractum ex Fœniculo parant, & multis laudibus extollunt; sic ADRIANUS ZIEGLERUS TIGURINUS in *Pharmacopœa Spagyrica* ita de virtutibus hujus extracti differit. Conducit capiti, oculis, renibus, vesicæ, pectoris angustiæ & difficultati spirandi succurrit, stomachum juvat, flatus dissipat, calculos arenosos comminuit, urinam, menstrua promovet. Dosis a scrupulo medio ad integrum, liquore convenienti. Alii autem & forsitan non omni absque ratione non adeo magnifice hoc de extracto sentiunt; quale judicium quoque ferunt de sale ex caule, herba, floribus, radice & semine per incinerationem parato, quod quidem ad oculorum affectus varios laudatur. Præ aliis salibus, quæ per incinerationem & crystallationem in officinis ex vegetabilibus fieri consueverunt, peculiare nihil videtur obtainere. Syrupi fere Fœniculi oblitus fuisset. Confici iste potest tum ex radice, tum ex herba & summitatibus, tum etiam ex ipso semine. Usurpatur cochleatim vel per se vel cum aliis, ast sicuti raro paratur, ita etiam raro usurpatur.

§. XXXVIII.

Accedo tandem ad spiritum Fœniculi, quem pér fermentationem etiam parari posse, non eo quidem negatum, sed tanquam majori negotio elaborandum, laboriosioribus cum Ludovici relinquo. Communiter præparatur dum semen cum vino aut potius spiritu Vini maceratur atque destillatur; qui postmodum saccharo edulcoratus gustui magis blanditur & Fœnuillet καὶ ξοχὴ dicitur. Formula, quam habet Dn. Præses in *notis ad Cynosuram* HERMANNI non videtur spernenda. & Sem. Fœniculi ʒiv. spiritus Vini Gall. mens. ij. digere & postmodum destilla atque edulcorā ʒvij. sacchari. Habetur hoc modo liquor stomachicus atque carminativus perutilis. Hauritur ad unum aut alterum cochleare. Sed dolendum, quod plures remedio abutantur, & nimis ingurgitando sibi varia concilient mala. Ex mente Ludovici pro pectoralis cujusdam Tincturæ confectione spiritus Vini Fœniculatus quasi gratiōr assumi potest. Et hæc sunt, quæ pro modulo ingenii de Fœniculo ejusque viribus ex authoribus feligere volui. Exiguos conatus boni non condemnabunt, malevolos mordere concedam. DEO interim pro concessis benigne viribus, sit Laus, Honor & Gloria in seculorum secula

F I N I S

Herrlich Geliebter Freund / du legst nun eine Probe
Von deinem munten Fleiß / Wit und Gelehrsamkeit/
An diesem Tage ab ; zu deinem größten Lobe :
Worüber sich mein Herz gewißlich sehr erfreut.
Du weisest uns geschickt des Fenchels edle Gaben/
Samt seiner innern Krafft / und Tugend / die er führt ;
Ja wie derselbe kann die blöden Menschen laben :
Deswegen Dir dann auch dein Lob mit recht gebührt.
Wohlan ; fahr ferner fort / sey emsig im studiren/
Schlag in den Büchern nach / wie du bisher gethan ;
So weiß ich daß ich bald darff diese Worte führen /
Es leb mein Herzens-Freund ! Herr Doctor Ehrenmann.

Ita egregius Nobilissimi Dni. Respondentis
profectibus applaudit

GEORGIVS HENRICVS BEHR,
Med. Doct. & Practicus. Opp.

Du dir Geehrter Freund vom Fenchel disputirest/
Und dessen Tugenden uns deutlich explicirest ;
So legt dein kluger Geist zugleich den Leuten dar /
Dass deine Weisheit nicht in deinen Füssen war.

Dieses wenige molte seinem werthesten Freund
gratulirend besegen

J. B. M. C. Opp.

FOeniculi vires dum docto Themate pandis,
Non modicum accrescit laudis, AMICE, Tibi.
Flud namque oculos acuit, redditque nitorem,
Indicat hoc aciem, vimque Tui ingenii
Teque VIRUM præsta pugnando fortiter, inde
Re pariter Tibi cum nomine surget HONOS.

Hicce Nobilissimo Dno. Respondenti Amico suo integerrimo
prolixiore affectu quam versu applaudit

J. G. SALTZMANN,
Med. Stud.

Carmine non possum digno decorare laborem,
Specimen iugenii splendida dona probat.

F

In-

(S) O (S)
*Invigiles porro plantaram cognitioni,
Sic laus & pretium crescat ubique Tibi.*

*Ex intimo animi affectu amico suo æstimatissimo
hisce paucis applaudit,*

JOH. PETRVS DIVOVX, Colmar.
Med. Cult. Opp.

Was Dein gelehrter Geist vor seltne Weisheits-Gaben/
Bissher als einen Schatz bey sich behalten hat /
Was die Natur in Dich Geehrter Freund begrabens/
Und deine Sorge war so beyde fruh und spath/
Das zeiget dieser Tag / der recht beglückt zu nennen /
Weil Æsculapens Geist/ dem du bissher gedient
Dich als ein Gottes Sohn/ uns giebet zu erkennen/
Der als ein Kräuter-Feld von lauter Weisheit grün.
Go wandle ferner hin auff dieser Götter Bahne/
Halt des Galeni Kunst hier vor Dein höchstes Gut.
Bis endlich Phœbi Hand statt eines Sieges-Fahnen
Dein Haupt bekronen wird mit einem Doctors-Hut.

G. P. J. M. S.

FOeniculi vires varias ostendere tentans
Omnine felici studia cuncta notas.
Temporis ad ægros tendis per spatia pauca,
Temporis in spatio Fœniculum æque viret.
Planta tua est ingens insigniter officinalis.
Altius insurgunt robora plura tua.

Nobilissimo atque Doctissimo DN. RESPON-
DENTI hæc adjicit

J. G. PFÄHLER, Med. St. Oppon.

Gest Werther Dein Papier noch treue Zeilen ein/
So wünsche ich dir Glück zu Deinem disputiren/
Der Höchste woll Dich bald auff höhre Stufen führen/
Da Dir der Doctors-Huth wird zur Belohnung seyn.

JOSIAS W E I G E N, Med. &
Chir. Stud. Arg.

(S) O (S)